

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI

DE VARIETATE RELIGIONUM IN PARTICULARI.

- CAP. I. Quæ fuerit professio monachorum Orientis, eorum præcipue qui sub regula Basilii militarunt.
- CAP. II. Quæ fuerit religionis S. Benedicti institutio et progressio.
- CAP. III. Quæ religiones monachorum ex Benedictina ortæ sint, et an sint ab illa distinctæ.
- CAP. IV. An ordo Carthusiensis sit perfecta monachorum religio.
- CAP. V. An religio S. Hieronymi, aut alia monachalis, sub regula S. Augustini militet.
- CAP. VI. An religio Prædicatorum una sit ex mendicantibus, quamque originem et institutionem habuerit.
- CAP. VII. An religio Minorum una sit ex mendicantibus, et quam originem et institutionem habuerit.
- CAP. VIII. De origine ordinis eremitarum S. Augustini, et an unus sit ex mendicantibus.
- CAP. IX. An religio eremitarum S. Augustini, quæ hodie extat in Ecclesia, sit eadem reipsa, an solo nomine cum primis illis Augustinianis.
- CAP. X. An sacer ordo Carmelitarum unus ex mendicantibus sit, quamque originem et institutionem habuerit.

LIBER SECUNDUS

DE VARIETATE RELIGIONUM IN SPECIE.

Tria principalia genera religiosorum ex præcedenti libro sumimus, monachorum, clericorum, et fratrum mendicantium; quamvis enim hi vulgari modo loquendi sub nomine *monachorum* venire soleant, proprie tamen diversum gradum constituunt, quasi medium inter duos prædictos, ut satis explicatum est, et communi etiam usu monachales ordines, stricte sumpti, solent a mendicantibus distinguui. Sub unoquoque ergo horum generum

sunt variæ species, de quibus omnibus exacte dicere infinitum esset opus, et a meo instituto alienum; non possumus autem omnino eas prætermittere, ut distincta hujus status cognitio habeatur. Dicam ergo de præcipuis speciebus singulorum generum, et in singulis quatuor puncta præcipua attingam. Primo, institutionem et originem seu auctorem et approbationem religionis. Secundo, finem ejus proprium, et ab aliis religionibus dis-

tinctum. Tertio, media et observantias proprias, quibus et ad suum finem consequendum utitur, et ab aliis religionibus distinguitur. Quarto, de effectibus et de illustrioribus personis nonnihil attingam, vel potius quia hoc magis historicum est quam doctrinale, auctores apud quos inveniri poterunt, indicabo. Quia vero de religione Societatis Jesu, propter quam maxime tractandam totum opus de religione aggressus fui, aliquanto fusius scripsi, ideo in sequentem tractatum eam doctrinam seposui.

CAPUT I.

QUÆ FUERIT PROFESSIO MONACHORUM ORIENTIS, EORUM PRÆCIPUE QUI SUB REGULA BASILII MILITARUNT.

1. S. Basilii religio hodie parum constat, nec Carmelitana cum ea coincidit.— Inter religiones monachorum prima omnium esse censetur religio S. Basilii, de qua pauca dicemus, qui jam fere non extant illius religionis professores in occidentali Ecclesia; et licet in orientali multi esse dicantur, qui regulam illam adhuc observant, nobis non constat an illa religio, prout nunc est, sit approbata. Nam, licet regula S. Basilii approbata in jure sit, juxta cap. *Perniciosum*, 17, q. 2, nobis tamen incertum est quæ mutatio in illo vitæ genere facta sit in Oriente; nam in Ecclesia occidentali, Carmelitarum religio censetur illam regulam profiteri, licet non omnes illius religionis professores id fateantur; esto tamen ita sit, tanta est facta mutatio in religione Carmelitarum, prout nunc est, ab illa quam Basilius instituit, ut alia merito censeri debeat, ut cap. 10 dicemus, de illa specialiter disputando; nunc enim nolumus sub religione S. Basilii illam comprehendere. Et ob eandem rationem nihil hoc loco dicemus de monachis antiquioribus Basilio, qui dicuntur fuisse imitatores Eliæ, ejusque in professione religiosa successores, nam de illis et res est valde incerta, et commodius de illa dicemus eodem cap. 10.

2. Ante Basilius extitit in Oriente professio monastica.— Certum nihilominus est, ante Basilius fuisse in Oriente institutam monasticam professionem; nam de monachis Alexandrinis mentionem facit Eusebius, lib. 2, cap. 16, et, ut supra retuli, multi censent Eusebios, de quibus Philo scripsit in libro de Vita contemplativa, fuisse Christianos mona-

chos. Quod sensit etiam Hieronymus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, in Marco, et in Philone, dicens, habitacula eorum appellasse monasteria; quod etiam sensit Epiphanius, hæresi 29, et eadem ratione dixit Cassianus, lib. 2 de Instit., cap. 5, Ægyptios monachos a S. Marco esse institutos. Quam sententiam late et erudite confirmat Cardinalis Baronius, 4 tom., anno 64, fere per totum.

3. Ea professio partim solitaria fuit, partim cœnobitica.— Id ostenditur exemplo Pauli et Antonii, et antiquiorum etiam.— Quæ autem fuerit vivendi ratio in illis antiquis monachis ante Basilii tempora, nobis in particulari non constat, sed id solum quod generale est vitæ monasticæ, tum quoad substantialia vincula religiosi status, tum etiam quoad finem vitæ contemplativæ, et consequenter quoad habitationem illi accommodatam, et a communi hominum consortio se junctam, sub monachali habitu et professione, quæ omnia in superioribus visa sunt. An vero illi monachi vitam omnino solitariam, vel communem seu cœnobiticam agerent, non potest universaliter definiti. Certum autem est, utrumque vitæ genus ante Basilius, et fortasse a principio nascentis Ecclesiæ observatum fuisse; nam de solitaria vita habemus exemplum Pauli, qui per centum annos ante Basilius illam coluit. De cœnobitica autem constat etiam ex Athanasio, Antonium plura condidisse monasteria, in quibus plures discipulos congregavit, et monasticam vitam exercere docuit. Et ante illa tempora Dionysius ex monacho factus est Pontifex, ut Damasus et Platina referunt, et Baronius, tom. 2, ann. 261, dicit vocari monachum, quia solitariam vitam aliquando egit. Cassianus etiam, collat. 18, cap. 5 et 6, existimat monasticam professionem, paulo post tempora Apostolorum inchoatam, usque ad Paulum et Antonium continue durasse, et ex cœnobitis anachoretas ortos fuisse; unde infert, hoc vitæ genus non casu, vel necessitate vitandi persecutionem, ortum fuisse, ut jam eo tempore quidam dicebant, et nunc etiam hæretici calumniantur, sed studio perfectionis. Quamvis enim Paulus (ut ipse ibidem fatetur, et Hieronymus in ejus Vita) ea occasione in eremum secesserit, tamen quod ob eam tot annis in ea permanserit, et tam severe observaverit, fingi et cogitari non potest; et de Antonio refert Athanasius, solum studio perfectionis vitam illam

¹ Bellarm., lib. de Monach., c. 5.

aggressum fuisse. Refert tamen modum conversionis ejus, dicens: *Nec dum tam crebra monasteria in Ægypto, neque omnino quispiam aviam solitudinem noverat* (Pauli enim secessum tunc ignorasse videtur); *sed quicumque in Christi servitute sibi met ipsi prodesse cupiebat, non longe a sua villula separatus instituebatur. Erat igitur in agello vicino senex quidam, vitam solitariam a prima sectans ætate. Hunc Antonius cum vidisset, æmulatus est ad bonam. Et primo quidem incipiens ipse in locis paululum a villa remotioribus manebat; cæterum autem, si quem in hoc studio vigilantem compererat, procedens quærebat, ut apud prudentissimam, nec ad habitaculum suum ante remeabat, nisi ejus, quem cupiebat, frueretur aspectibus.*

4. Quo sensu solitaria vita præcessit aut non præcessit Paulum. — Quo modo cœnobitica præcesserit Antonium. — Ex qua narratione intelligimus, vitam solitariam cœnobiticam aliquo modo ante Paulum et Antonium fuisse, et aliquo modo ab eis incepisse. Præcessit enim solitaria vita in locis parum ab oppidis remotis, ut constat de illo sene, quem imitatus est Antonius; incepit autem in Paulo quoad internam et longe separatam eremi solitudinem: et in hoc sensu dixit Hieronymus, epist. 22 ad Eustochium, Paulum fuisse primum eremitam. Sic etiam non est inconueniens admittere, illam tam singularem separationem incepisse occasione fugiendi persecutionem, quamvis institutum ipsum per se electum et intentum fuerit, et non sine speciali providentia Dei evenisse credendum sit, ut illud esset quasi singulare exemplum illius vitæ, quod postea alii sine necessitate persecutionis imitati sunt. Nec tamen affirmare possumus nullos similes eremitas antea fuisse, sed solum nullam esse de illis antiquiorem historiam vel narrationem. Quod autem vita etiam cœnobitica præcesserit Antonium, indicatur ab Athanasio, dum ait non tam crebra fuisse monasteria; non enim dicit omnino fuisse nulla, sicut loquitur de incolentibus aviam solitudinem; sentit ergo fuisse aliqua cœnobita religiosorum. Nisi per monasteria intelligamus singulas religionum cellulas, etiamsi unaquæque esset quasi domus ab aliis separata, unum tantum habens habitorem; solet enim verbum monasterii in hoc sensu sumi, ut patet ex Philone, lib. de Vita contemp.; et Nicephoro, lib. 8 Histor., cap. 39, nam in rigore nihil aliud significat quam habitationem monachi; unde sicut monachus ita appellatus est ex so-

litaria vita, ita monasterium solitarii habitaculum seu solitudinem significare potest, ut etiam Ambrosius Calepinus interpretatur. Unde etiam olim græce dicebantur *asceteria*, id est, ascetarum habitacula; dicebantur autem *ascetæ*, qui in solitudinibus ad perfectionem exercebantur, et eorum mentio fit in actis sanctorum martyrum, ut videre licet in Baronio, tom. 2, anno 361, § *Reddemus*. Verumtamen, etiamsi admittamus plura monasteria in hoc sensu appellari plura habitacula singulorum monachorum inter se loco sejuncta, nihilominus verisimilius est ordinarium et magis usitatum modum vivendi talium monachorum fuisse, ut omnes, qui prope aliquod oppidum habitabant, aliquam inter se unionem haberent, et unum Prælatum recognoscerent, et Archimandrita olim dicebatur. Unde in leg. *Nos reddentes*, Cod. de Summ. Trinitat., vocantur *Archimandrite sanctorum monasteriorum*; nam singuli Prælati censebantur sub se habere plura monasteria in declarata significatione; *mandra* enim græce *speluncam* significat, et monachi tunc, licet in desertis separati tanquam in speluncis habitarent, unum habebant quasi Principem et Prælatum, et ita simul solitariam et cœnobiticam vitam agebant, cujus vestigium nunc in ordine Carthusiano conspicimus, et expressius in celebri conventu B. Virginis Montis Serrati, ordinis S. Benedicti, et aliis similibus.

5. Post Antonium vita monastica mire cepit propagari. — Non tamen de regula aut varietate talium monachorum satis constat. — Hunc ergo statum videtur habuisse in Oriente institutio monastica usque ad tempora Antonii. Post Antonium vero mirabile incrementum accepit, ut ex Athanasio intelligimus in vita Antonii, qui etiam monachos secum habuisse commemorat, lib. de Fuga sua, circa finem. Item ex Hieronymo, epist. 7 ad Lætam, dicente: *De India, Persia, Æthiopia, monachorum turbam quotidie suscipimus*; et ex Nicephoro, lib. 11 Historiæ, cap. 34, ubi, incipiens tractare de monachis illius ætatis et religionis, quos ecclesiasticos philosophos appellat, inquit: *Magnus enim tunc, et haud scio, an alio itidem tempore unquam eorum proventus fuit*. Et significat ab Antonio originem duxisse, ut idem latius prosequitur, lib. 8, cap. 40, ubi de Antonio inquit: *Habuit discipulos multos probatos admodum, et qui magistrum vitæ institutione, sapientiæ studio, et virtute reliqua satis feliciter retulerunt, qui partim in*

Ægypto et Libya, partim in Palæstina, Syria et Arabia sunt philosophati. Et idem late ostendit, et prosequitur Baron., tom. 3, ann. Domini 328. Unde concludit, merito posse Antonium magnum Patriarcham omnium monachorum appellari; post quem secuti sunt Macharii, Joannes Climacus, Hilarion, Pachomius, et similes, de quibus multa leguntur in antiquis historiis, et præsertim apud Palladium, in historia Lausiaca, ubi de innumerable multitudinem monachorum illius ætatis, cap. 7, 9, 52 et 96, multa recenset. Videri etiam potest Hieronymus, epist. 16, qui refert Athanasium advexisse, in urbem novam, Pachomii, monasteriorumque ab illo institutorum disciplinam, quem etiam, Angelo dicente, regulam monachorum excepisse refert Gennadius, de Viris illustribus, c. 7, habetur in fine primi tomi operum Hieronymi, et ipsa regula nunc habetur in fine operum Cassiani. De regula autem, aut instituto vivendi quod Antonius suis monachis tradidit, nihil speciale scriptum reperio, præter generalia documenta, quæ in ejus vita leguntur; nec præter regulam Pachomii invenio aliam antiquiorem Basilio. Nec etiam mihi constat quæ esset distinctio aut varietas illo tempore inter monachos Orientis, vel in vitæ instituto et moribus, vel in habitu, habitatione, regimine, etc., præter ea quæ de triplici monachorum genere attigit Hieronymus, epist. 22 ad Eustochium, quorum etiam meminit Cassianus, collat. 18, cap. 17; et S. Benedictus, in principio suæ Regulæ. Sed (ut in libro præcedenti, cap. num. 6, attigi) tertius ordo illorum monachorum potius videtur fuisse deficientium a veritate et perfectione religionis, quam verorum monachorum. Alii vero duo ordines erant cœnobitarum et anachoretarum, de quibus jam disseruimus. In utroque tamen istorum generalium statuum fuit sine dubio multiplex vivendi modus, ut ex Cassiano, Climaco et historiis ecclesiasticis in variis exemplis intelligimus, quamvis distincte non habeamus proprias singulorum regulas, vel vivendi rationem.

6. Religio S. Basilii paulo post Antonium. — Refelluntur negantes illius esse instituta et regulas monasticas. — Igitur non multo post Antonium, id est, fere quadraginta annis post illum, successit Basilius, priorum monachorum virtutes æmulatus (ut ipsemet refert epist. 79), quorum tamen vivendi rationem ipse ad meliorem formam redegit, magisque religioni congruentem, ut de ipso Ecclesia le-

git; quod latius retulit Gregorius Nazianzenus, oratione de laudibus Basilii; et inter ejusdem Basilii opera extant constitutiones, et regulæ, et præclara instituta vitæ monasticæ, quæ Hieronymus, de Script. Ecclesiast. in Basilio, Ascetica vocavit. Non defuere tamen qui ea in dubium revocarunt, et cuidam Eustacio attribuere voluerunt, quam esse summam stultitiam affirmat Baron., tom. 1, anno 361, et optime confirmat, tum ex testimonio Gregorii Nazianzeni, tum etiam ex epist. 63 et 79 ejusdem Basilii, in quibus ipsemet profitetur habere apud se viros, qui mundo renuntiarunt, et universis seculi curis, et se doctore hoc pietatis studium profitebantur. Atque ita usque ad nostra etiam tempora sub Basilii nomine monachatum profitentur multi religiosi per Orientem, ubi, licet dicantur esse aliqui monachi ab Antonio vel Paulo nomen accipientes, omnes tamen Basilii regulam profiteri referuntur; et de illis videtur loqui Chrysostomus, homil. 8 in Matth., cum de illis dicit, innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, de quorum vita prædicat, homil. 56, 57, 58 et 59 ad populum, et in tribus libris adversus vituperatores vitæ monasticæ. Omnia etiam, quæ Cassianus de vita monachorum Orientis refert in libro de Institutis renuntiantium, et quæ scribit Palladius, quæque posteriores historiæ referunt, ad monachos sub regula Basilii militantes præcipue referenda videntur. Denique ex regula Basilii omnes alias religionum regulas originem duxisse tanquam rivos ex uberrimo fonte, pie sensit Cardinalis Baronius, tom. 4, anno Domini 363, non longe a fine. Specialiter vero solet illi attribui regula, quam ordo Carmelitarum profitetur, quod infra, cap. 10, expendemus; nunc potius suppono ex regula Basilii nos nihil amplius habere, quam ea quæ in ejus operibus continentur, sub titulis regularum fusius disputatarum, ac breviorum, et constitutionum monasticarum, præter quosdam sermones et epistolas, in quibus de eadem institutione monachorum disserit. Ex quibus etiam circumfertur quoddam veluti compendium regularum Basilii a Ruffino compositum, seu in latinum translatum.

7. De fine hujus religionis. — Igitur, quantum ex illis regulis colligi potest, institutum illud Basilii, ex parte finis, monachatus proprie fuit; nam finis illius fuit divinæ contemplationi vacare, et ideo separatam habitationem habere ab omnibus hominibus, qui com-

munem viam mandatorum sequuntur, ut patet ex reg. 6, ex fusius disputatis. Et quamvis in regul. 7 comparet solitariam vitam cum cœnobitica, et hanc posteriorem præferat, utramque tamen supponit debere ad contemplationem principaliter ordinari. Et quamvis actionem aliquam in monacho requirat, semper tamen orationem et contemplationem tanquam finem principalem ponit, ut patet in c. 2 Constit. monast.; laborem autem manuum ad corporis exercitationem et congruentem hominis occupationem requirit, ut patet ex c. 5 earumdem constitutionum.

8. *De mediis, ac primum de paupertate, castitate et obedientia.*—Media autem, quæ ad illum finem proponit, imprimis ea sunt, quæ ad substantiam status religiosi pertinent, ut sunt paupertas, obedientia, castitas, sub uno Prælato, de quibus in prædictis regulis late disputat, exhortationes potius et generalia documenta, quam peculiare aliquid et proprium illius instituti tradens, unde quoad paupertatem non invenio esse illis prohibitum aliquid in communi habere, sed solum in particulari; hanc vero exactissimam requirit, adeo ut nec minimam eleemosynam religiosi sine licentia facere permittat de communibus bonis, et cum licentia, non sine magna circumspectione, ut patet regul. 87, 91, 100 et 101, et 302, ex brevioribus. In castitate etiam et obedientia maximam observantiam postulat; et hæc vota pactum et promissionem appellat, quæ violari aut rescindi non potest, in Constit. monast., cap. vigesimo secundo, et trigesimo quinto.

9. *De mediis aliis accidentariis.*—Quoad alia vero specialia media requirit imprimis peculiarem, pauperem et simplicem habitum, ut patet in regul. 22, ex fusioribus; non tamen declarat cujus coloris aut figuræ ab ipso fuerit institutus. Quoad habitationem, præter separationem conventus, ordinariam clausuram requirit, et fere nullam cum secularibus hominibus conversationem permittit, ut patet ex cap. 6, 7 et 8 Constitutionum. Non invenio tamen de modo servandi silentium aliquid speciale ab eo statutum, præter ea quæ sæpe docet de moderatione circa locutionem servanda, ut cap. 12 et 13 Constit. Similiter de ratione victus, non invenio in regulis Basilii usum carniū fuisse prohibitum, sed tantum commendari ut simplex, commune et moderatum alimentum sit, et unicujusque necessitati accommodatum, ut patet ex regul.

19 et 20, ex fusioribus: unde etiam nulla certa jejunia præcipit, sed fere hoc totum Antistitis arbitrio relinquit. De choro etiam vel cantu non invenio ab eo esse factam mentionem, vel Horarum distributionem, sed tantum orationem tum mentalem, tum etiam vocalem, sæpius ab ipso esse commendatam simul cum divinis laudibus et præsentia Dei, ut patet ex cap. 2 et 3 Constit., et ex regul. 5, 37, et aliis, tam ex fusioribus, quam ex brevioribus, præsertim 218 et 306. Denique idem dicendum est de aliis austeritatibus corporis seu actionibus pœnitentiæ; quamvis enim satis eam commendat et exaggeret, non tamen ad particularia præscribenda descendit. Simili etiam modo loquitur de corporali labore seu exercitatione; specialiter vero prohibet monachos, ne clericatum appetant, in c. 10 Constit., et supponere videtur monachos a se institutos ordinarie et ex vi professionis suæ non fuisse clericos, quamvis ad illum statum ascendere non repugnaret. Atque hæc sunt quæ de origine, et modo ac perfectione illius status in particulari dicere possumus; quam vero fuerit utilis Ecclesiæ Dei, et quot sancti ac perfecti viri inde manaverint, ex his quæ ex Chrysostomo et Casiano superius attulimus, intelligi potest. Quibus addi possunt, quæ de SS. Ephrem, Hesychio, et aliis fere ejusdem temporis leguntur apud Evagrium, Ruffinum, et alios; nam post illa tempora nullam fere lucem de Orientis monachis habemus.

CAPUT II.

QUÆ FUERIT RELIGIONIS S. BENEDICTI INSTITUTIO ET PROGRESSUS.

1. *De initiis monachatus in Occidente quid indicet Ambrosius.*—De vita monastica, quando primum cœperit in Occidente, non omnino certum est; significat autem Ambrosius, ab Eusebio, Vercell. Episcopo, primum fuisse monachatum ex Oriente in Occidentem adductum. Indicat tamen non fuisse ab illo institutam aliquam religionem monasticam, de qua nunc loquimur, sed statum religiosum clericatui adjunxisse. Sic enim ait serm. 13, qui est de laudibus ejus: *Ut cætera taceam, illud quam admirabile est, quod in hæc sancta Ecclesia eosdam monachos instituit esse, quos clericos, atque iisdem penetrabilibus sacerdotalia officia contineri, quibus et sin-*

gularis castimonia conservatur, ut esset in ipso viris contemptus rerum, et accuratio Levitarum, ut si videres monasterii lectulos, instar orientalis propositi judicares; si devotiones cleri perspiceres, angelici ordinis observatione gauderes; et lib. 5, epist. 25: Quod si in aliis Ecclesiis (inquit) tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expeditur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter videntur exigi ab Episcopo, monasterii continentia, et disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut et in civitate positus instituta monachorum teneret, et Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.

2. *Hic locus Ambrosii non convincit, ut varia exempla ostendunt.*—Quæ verba, ut dixi, intelligi possunt, quia et ipsemet Eusebius in persona sua austeritatem monachorum observare cœpit, et clericos suos juxta eam instituerat. Et fortasse non denuo adjunxit religiosum statum clericatui; ostendimus enim ab initio Ecclesiæ ab Apostolis et ejus discipulis fuisse observatum; et verisimile est etiam in partibus Occidentis, et maxime in Ecclesia Romana eum morem fuisse antea introductum, ut ex epist. 5 Clementis, et ex aliis colligitur. Austeritatem ergo monachalem illi statui adjungere potuit; vel certe propria monachorum monasteria instituit, ex quibus postea clericos crearet; et ideo dicitur monachatum clericatui conjunxisse. Nam de D. Martino fere illi æquali refert Sulpitius, dialog. 1, cap. 7, factum Episcopum, extra civitatem duobus fere millibus monasterium sibi statuisse. Quod sic describit: *Ipse ex lignis contexam cellulam habebat, multique ex fratribus in eundem modum plerique saxo superjecti montis cavato, receptacula sibi fecerant. Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur; nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur; non emere, aut vendere (ut plerisque monachis moris est) cuicquam licebat. Ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur; cui tamen operi minor ætas deputabatur, majores orationi vacabant, et subdit inferius: Plures ex his postea Episcopos vidimus: quæ enim esset civitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de monasterio Martini cuiperet successorem?* Videtur ergo illud fuisse proprium monachorum institutum in fine quidem contemplationis, et in modo habitationis, et vitæ austeræ, orientalibus simile, in genere autem actionum, et labore manuum aliquantulum

diversum. Cujus ratio fortasse fuit, quia ad creandos inde clericos et Episcopos a Martino ordinabantur. Sed et ante Episcopatum legimus Martinum Mediolani monasterium monachorum erexisse, apud Sulpitium supra, cap. 4, et cap. 5 refert condidisse aliud juxta oppidum; quod non explicat quale fuerit, videtur autem loqui de civitate Pictaviensi, ubi Hilarius Episcopus erat, quem ipse persecutus fuerat. Augustinus etiam, lib. 8 Confessionum, cap. 6, refert suo tempore fuisse monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore. Et libr. 1 de Moribus Ecclesiæ, cap. 31, loquens de multitudine monachorum, tam in vita solitaria, quam in cœnobitica degentium, dicit, per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime, atque Ægypto, significans jam tum fuisse in Occidente diffusam, quamvis fortasse non æqualiter. Et cap. 33: *Vidi (inquit) diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, vir optimus et doctissimus, et addit: Plura etiam Romæ cognovi, etc.* Quod autem illa Romana monasteria non multo ante inceperint, sed tempore Athanasii, et occasione adventus ejus in Urbem, ex Hieronymo colligitur, epist. 16 ad Principiam, dicente: *Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romæ propositum monachorum, neque audebat, propter rei novitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, et vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus, Papaque Athanasio, et postea Petro, qui persecutionem Arianae hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide, Pachomii, et virginum, ac viduarum didicit disciplinam.*

3. *Quo tempore verisimiliter cœperit monachatus in Occidente.*—Unde constat, eodem fere tempore, quo in Oriente per Antonium monachorum vita in ordinem redigi cœpit, in Occidente per Athanasium inductam esse, et ab Urbe tanquam a capite facile ad alias Occidentis regiones dimanasse; quamvis non defuerint hæretici, qui monachorum nomen statim insectari cœperint, ut Augustinus commemorat in Psalmum 132. Postea vero ipsemet Augustinus monachatum in Africam invexit, de quo dicemus cap. 8 commodius, tractando de eremitis mendicantibus. De illa ergo ætate usque ad D. Benedictum nihil certius, vel specialius de monachalibus religio-